

SS 1727

Q. D. B. V.

ACADEMIAE GIESSENÆ

RECTOR

JO. GODOFREDVS
HARTVNGIVS, D.

CONSILIAR. HASSO-DARMSTAD. ET JVR.
P. P. ORD.

VNA CVM VNIVERSO

SENATV ACADEMICO
LECTIONES AESTIVAS

TAM PVBLICAS, QVAM PRIVATAS,
STVDIOSIS ACADEMIAE CIVIBVS
*GENERE, VIRTUTE, DOCTRINA
FLORENTISSIMIS*

MORE PER MANVS TRADITO INDICAT,
ET
AD DILIGENTEM FREQUENTATIONEM SEDVLO
COMMENDAT

SVB SIGILLO ACADEM. MAIORI
IPSO FESTO PASCHAZOS
A. R. S. MDCCXXVII.

GIESSENÆ,

Typis Vid. JOH. REINH. VULPII, ACAD. TYPOGR.

IN FACULTATE THEOLOG.
 JOANNES CHRISTOPH. BIELENFELD,
 Consiliarius in Sacr. Suprem. Superintendens & Theo-
 logus Academiae primarius.

In Lectionibus publicis Epistolam Pauli ad Galatas methodo exegetico-
 porismatico-homileticâ ad finem perducet, alium postea S. Codicis
 librum eadem methodo pertractaturus. In privatis Jurisprudentiam
 divinam juxta institutiones Theol. Moralis Dni Buddei præleget, simul-
 que Collegium Polemicum ad Professionem Fidei Tridentinae, typis ex-
 scriptam, junget, singulisque hebdomadibus privatas instituet disputa-
 tiones.

JOH. BARTHOLOMÆUS RÜDIGER,
 SS. Theol. Doct. & Prof. Ord. regionis Marp. Darmst. Superint.

Lectionum publicarum operas dividet, singulisque quos Luna ac Jovis
 vocant; in *Celeb. RAMBACHII Institutiones Hermeneuticas Sacras*
 brevi ac aperta manu ducet: Martis verò & Veneris diebus ex *Theologia*
Casuali BECHMANNI aut PRVCKNERI, materiam de Conjugiis, tum
 sancendis tum solvendis, fideliter proponet: Privatis autem horis, sive
Polemicum in B. D. ALBERTI Interesse Religionum Summam Rudrauffia-
nam, sive dogmaticum novum in BEIERVM inchoare cum Deo constituit.

JOH. GOTTOFREDUS SCHUPART,
 SS. Theol. P. P. O. Consistorii Princip. Adessor & Dioces.
 Alsfeld. Superintendens.

In Scholis exegeticis, quas *Esaiæ* exponendo publice hætenus impendit,
 considerabit statum Ecclesiae Novi Testamenti, quem graphice depin-
 git vates sub finem libri prophetiarum. Privatim perget ad ea, quae re-
 stant in *Epistola ad Ebraeos*; inque eam sueta methodo commentabitur.
 In Theologia dogmatica *Christologiam* eaque omnia, quae *Media Salutis*
 concernunt, tradet, & quod brevissimis diebus brumalibus non potuit,
 nunc auspicabitur *Collegium Foederale*, quo (si Dnn. Commilitonum sic
 vota ferent) Foederis gratiae Oeconomiam, per singulas periodos, exege-
 tice ac dogmaticae sistet, totumque salutis negotium cum Deo explanabit.

JOH.

JOH. GEORG. LIEBKNECHT,

SS. Theol. Doctor & Prof. P. Ordinarius.

In *Lectiōibus publicis* nonnulla ex Geneseos libro loca Mathematicarum Scientiarum ope vberius explanabit, & maxime ab iniquius sententiarum opinionibus defendet. *Privatim* ad Theologiæ positivæ, quam B. BAIERVS dedit, huc vsque expositæ, partem alteram perget, nec quoad reliquas Theologiæ, vel etiam Historiæ Eccles. partes, Dn. Comilitonum desiderijs deerit.

IN FACULTATE IURIDICA.

JO. GODOEREDUS HARTVNGIVS, D.

Consiliarius Hasso-Darmst. Iur. P. P. Ordin.

& Academ. h. t. Rect.

Quamvis Rector hucusque à *lectiōibus publicis* liber fuerit, tamen quia ipse nihil magis in votis habet, quam *lectiōes Publicas Pandectales ad Compendium Lauterbachianum*, eo, quo hactenus tractatæ sunt, labore absolvere, à Libro XXVI. omni cum studio perget. *Privatim* Pandectas ad idem *Comp. Lauterb.* denuo auspicabitur, intra spatium annale certissime absolvendas. Plura non permittunt Rectoralis muneris negotia.

IO. DANIEL GRVBER, D.

Publicis *Lectiōibus* commentabitur ad Constitutionem criminalem CAROLI V. Imperatoris. *Privatim* Ill. BOEHMERI introductionem ad Ius digestorum, quam superiori semestri notis theoreticis collocupletavit, observationibus practicis illustrabit, addito examine; qui labor binas sibi singulis diebus horas vindicabit. Præterea Iuris publicæ prudentiam, duce HORNIO, binis itidem in singulos dies horis diligenter explicabit. Denique notitiam Iuris publici specialis trium potentissimarum in Germania familiarum, vinculo confraternitatis unio- nisque coniunctarum, Saxonicæ, Brandenburgicæ atque Hassiacæ, cupidus harum rerum auditoribus propinabit: singularum scholarum horas atque exordia suo tempore ex valuis publicis indicaturus.

JO. FRIDERICUS KAYSER, Dr.

Consil. Hasso - Darmstattinus, Jurium Prof. tertius Ordina-
rius, Academiae Syndicus & Facultatis suae
h. t. Decanus.

Publice. Lectiones juris Feudalis ad *Strykii Examen* continuabit, eas-
que ad finem perducet. *Privatis Lectionibus* hora VIII. matutina Insti-
tutiones Imperatorias, hora vero X. Pandectas ad ductum *Compendii*
Lauterbachiani explicabit; denique hora II. pomeridiana Juris publ.
disciplinam ex *Introductione Schvederiana* tradet, non desuturus, in
aliis quoque legitimae scientiae partibus operam industriamque suam
desiderantibus exhibere.

JO. FRIDERICVS WÄSSEL

P. P. Ord.

Publice praelectiones ad *SCHILTERI Instit. Jur. Can.* privatim vero eas,
quas proxime elapso semestri ad *Compendium LAUTERBACHIA-*
NUM coepi, ad finem perducam. *Nova quoque Collegia ad institutiones*
JUSTINIANI, STRUVII, Syntagma Juris Feudalis & STRYCKII
introductionem ad praxin forensis aperiam.

GEORGIVS LVDOVICVS LEVTNER

PROFESSOR JUR. EXTRAORD & FACULT.

JURIS ASSESSOR.

Publicis Lectionibus B. G. Beyeri Jus Germanicum explanabit. Pri-
vatis horis Jus Naturæ & Gentium, duce Phil. Reinh. Vitriario,
qui H. Grotium in quaestiones luculentas redegit, simulque quod opri-
mum in praecipuis commentatoribus inseruit, explicabit, nec non Insti-
tutiones Juris Civilis & Pandectas ad Ill. Böhmeri Introductionem in
Jus Digestorum ea, qua peculiari in programma indicavit, ratione.
Aperiet quoque Collegia Juris Feudalis ad Stryckii Examen & Juris
Publici ad ductum B. Henr. de Cocceji, Viri historiae Germanicae inde-
que fluentis Juris publici peritissimi.

IN

IN FACULTATE MEDICA.

JOH. CHRISTOPH. HERTIUS, Med. D.

hujusque Prof. & Archiater Hasso-Darmst. Primar.

Ubi otium aulicum ipsi permittet versari in Academia, non deerit, si quacunq[ue] ratione Philiatrorum conatus promovere poterit.

D. MICH. BERNHARDVS VALENTINI,

Archiater Hasso-Darmstadinus & Med. PP. Ord.

In Lectionibus publicis *Praxin Medicinam infallibilem* trader. Privatim *Collegium Nenterianum* anno proxime elapso inchoatum, DEO vitam viresque indulgente, continuabit.

D. JOH. CASIMIR. HERTIUS,

Consiliar. Hasso-Darmstadin. & P. P. O.

Publicè in Collegio, quod post nuper administratam publicam anatomiam inchoavit nec tamen adversa aliquoties valetudine hucusque impeditus, ex voto prosequi potuit, *ossium historiam*, ad finem perducet & sic quidem, ut consuetas opporuno tempore *botanicas demonstrationes* minimè negligat: Privatim *Splanchnologiam* denuò exponet, & si fortè cadavera humana defecerint. Vel pro temporis anni tempestatisque ratione, minus expeti posse videantur, in brutis, quas jungere è re visum fuerit, *sectiones* instituet, Heisteriani cæteroqui Compendii etiam nunc ductum secuturus.

IO. MELCHIOR VERDRIES, D.

& P. P. O.

Publice & privatim *Semiologiam Medicam*, ad ductum observationum cel. *Jodoci Lomii* pertractabit, eaque absoluta, ad doctrinam de tutela sanitatis & ad ipsam medendi methodum, in *Institutionibus Boerhavianis* expositam, subnexa ubique rationali epicrissi, ex genuinis artis principiis, explanandam, progredietur. Provectoribus etiam, absoluta jam propemodum *Praxi speciali*, Collegium casuale aperiet & ad *Medicinam Forensis*, excellentissimi *Bohnii* tractatum de officio Medici forensi & cl. *Teichmeyerii* *Institutiones Medicinæ Forensis* exponendo & illustrando, viam sternet.

CHRISTOPH. BERNH. VALENTINI,

Med. D. Archiater & Extraord. Professor.

Ex speciali gratia Serenissimi Acad. Nutricii in aulis medicinam faciens DNN. Philiatorum studia commercio literario promovebit, donec Academiae patriae redditus viva simul voce illis inservire valeat.

LUDOV. HENRIC. LEO. HILCHEN,

Med. Lic. & Prof. Extraord.

Publice Physiologiam docebit. Privatim omnes vires intendet, ut Dn. Dn. Commilitonum desideriis satisfaciat.

IN FACULT. PHILOSOPHICA,

MICHAEL BERNHARD. VALENTINI,

Phil. Experim. P. P. Ord.

Publicè *Historiam simplicium reformatam*: privatim *Armamentarium Artis & Natura* rationibus & experimentis uberius explanabit.

D. IOH. GEORG. LIEBKNECHT,

Mathematicum Prof. P. Ordin.

Geometriae elementis, debite expositis, lectionum publicarum loco per instans semestre stans horis praxin vberiore, & in omni vita utilissimam addet. Privatim *Cursum Mathematicum*, ut vocant, intra anni spatium absolendum, resumet, nec iis deerit, qui Geographiam Historico-Mathematicam, vel aliam Matheseos partem, specialiter addiscendam forte desiderabunt. Et quia hos inter sunt, qui Algebram, alii vero calculum astronomicum exoptant, & quidem ad magni Astronomi Gallicani PH. DE LA HIRE ductum, insuper illis omnis omnino opera ac studium promittitur.

IO. HENR. MAIUS,

Antiquit. litterar. Graec. et linguar. oriental. Professor.

Vt Ebraicarum Graecarumque litterarum avidis examissim satisfaciat, publice alternis diuinum Geneseos librum & Apostolorum actus, diuersitando ad linguae ingenium; amoenitatem historiae, & antiquitatis venustatem, luminare conabitur. Privatim *Lamberti Bossi antiquitates Atticas*, non anxia aut morosa, sed facili profecto & simplici orationis elegantia, conscriptas, pari per omnia ratione, utinam et successu, explanabit. Namque Ornari res ipsa vetat, contenta doceri. Denique, ut huma-

niorum litterarum studiosi in tempore omnis generis scriptores antiquos cum fructu intelligere discant, et cum ipsa quasi colostra discrimen hauriant inter vermiculatam dictionem tessellisque versicoloribus variegatam, et illam, quae non modo limam, sed nec runcinas experta est nec scobinas; *Dionysii Longini libellum περί Υψηλῆς De excelsa dicendi ratione*, certa, et docta, confertaque breuitate gaudentem, enucleabit.

IO. MELCHIOR VERDRIES, D.

Physic. P. P. O.

Publice Dissertationibus, si institutum arriserit, de rebus Physicis inter recentiores controversis, Nobil. DN. DN. Commilitones exercebit. *Privatim* partem specialem *Introductionis suae in Physicam recent.* explanabit & illustrabit. Nec in aliis Philosophiae naturalis partibus studium atque operam suam desiderari patietur.

D. JOH. CONRADVS ARNOLDI,

Logicæ ac Metaphys. Prof. Ord.

Publicas Lectiones exercitio disputatorio hebdomadario consecrabit, redeundo ad Theses ex Historia Philosophica conceptas, ac, si Respondentibus libuerit, typis exprimendas, initium facturus ab Historia Logicæ. *Privatim* Logicæ & Metaphysicæ præcepta, semestri, uti hucusque, spatio ita systematice ac practice tractabit integra, ut usum utriusq; disciplinae singulis, præsertim Juris Studiosis ex Logica Brunnemanni vel Seebachii Juridica, S. Theologiæ vero cultoribus, ex B. Rudrauffii Philosophia Theologica, sive Hagare Saræ ancillante, præmonstret, tanto diligentiores hinc expectaturus auditores, quod juxta recentiorum placita, prisca quoque acurissimi hujus Philosophi ac Theologi lecturus est vestigia, quibus ea ætate, & ad profectus Studiorum insignes, & ad celebritatem Academiae processum est feliciter.

SEBASTIANUS MASSON, P.

Publice eximium pariter ac inuolutum Hugonis Grotii opus de Jure Belli ac Pacis explicare in animum induxit.

Privatim vero, præter coeptum iam aliquot abhinc mensibus collegium ad Pufendorffii libellum de Off. H. & C. hora IX^{ma}. matutina; novum ad eundem, idque, modo citra moras eius fiat initium, intra instantis semestris spatia certo expediendum, hora itidem ante meridiem VIII^{ua}. vel X^{ma}. prout futuris Dnis Auditoribus magis arriserit, suscipiet.

Porro theatrum Prudentiæ Status, duce celeb. Buddeo Practici Operis Parte III^{ia}. nec illud etiam lingua gallica, si qui eius peritiores cupient, exsequi detrectaturus, hora pomeridiana IV^{ta}. aperiet. Si.

Similiter & Moralem Doctrinam, auctore praelaudato Parte Ima, cupidis hora prius definienda libenter pro ratione officii exponet.

CHRIST. FRIDER. AYRMANNVS,

Histor. P. P.

Historia *universalis* Collegio priuatissimo absoluto, nouum inchoabit, ductum porro secutus *Cellarii*, ita tamen, ut nouam simul eius editionem pollicetur, emendatam, splendidiorē, Tabulis inprimis Geographicis & Chronologicis, noua ad præsentem annum Continuatione, & integro Accessionum Illustrationumque Tomo auctam. - Interea cœpit superiori semeltri hæc necessaria additamenta, tanquam summam suarum prælectionum, calamo excipiendâ dare, eundemque laborem proxima a Festo Paschatis die continuabit. Parat quoque ad usum iuuentutis Academicæ Institutiones *historia literaria*, duobus mediocribus uoluminibus comprehensas, quorum alterum introductionem dabit ad hoc studium, notitiamque inprimis librorum eo pertinentium generalem, alterum historiam artium & scientiarum, uersatorumque in iisdem hominum uniuersalem, ordine temporum, atque eleganti stilo exponet. Præter *historiam Germanicam*, politicamque reliquorum *Europa statuum*, tradet *historiam Iuris & Iurisprudentiæ*, cœu partem historię ciuiliis & literarię particularis non postremam, cum solida tamen non minus Iurisprudentiæ, cuius inter fundamenta primum locum obtinet, coniunctam. Eius delineationem, noua & perspicua methodo a se concinnatam, breui ut sperat alterius cuiusdam Academicę typographus, nostris ut uideatur isthæc nauseantibus, prelo committet. Operam denique dabit, ut contractis breui, quæ ob rerum omnium penuriam, tarda que studiorum patrocinia auxiliæque, adhuc desiderantur subsidiis, solidiori ratione *historiam Ecclesiasticam*, & coniunctam cum ea historiam Theologiæ literariam, tum *antiquitates quoque Ecclesiasticas*, ad pleniorē inprimis Iuris Canonici intellectum omnino necessarias, illustrare & nobilioribus ingenijs commendare queat.

JOHANNES RHENIUS,

Eloquentiæ & Poëseos P. P. Ordin.

Publice gratia divina fauente Vossii Partitiones oratorias Lunæ & Martis; Jouis uero & Veneris diebus Ouidii Tristia illustrabit. Insuper privatim horum studiorum amatoribus satisfaciet, in primis iis, qui in elaborandis & publice recitandis orationibus nec non componendis epistolis & legendis aliis auctoribus classicis insumere operam desiderant.

CHRISTOPH. LVDOVICVS RÜDIGER,

P. P. Extraord. & Symmystes,

Ill. *Weberi Examine* facem præferente, insignium analysi monstrata, omnis nunc totius operis heraldici designatio & apparatus, quoad tincturas & figuras, in oculis ponendus erit. Adde quod in *Cursu* nostro præstitutus ordo nos iubeat, de *Methodo* didactica, disputandi, interpretandi, dissertationesque conscribendi non solum, sed sensa etiam mentis & consilia nostrâ, Philosophorum uerbis uniuersalibus explicandi, collatis *Cel. Wolffii cum Rumpsi institutionibus*, ut agatur, Quibus *deratione conscribandarum epistolarum, Morhosi vel Lunckeri filium* sequendo, nouum Collegium superaddere non pigebit.